

# CALENDARIUM

## IN USUM DIŒCESIS BASILEENSIS

### IANUARIUS

<b>3</b>	<i>Commemoratio S. Marii Ep. Lausann. et Conf.</i>	Comm.
<b>21</b>	<i>S. Agnetis Virg. et Mart.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Meinradi Mart.</i>	

### FEBRARIUS

<b>21</b>	<i>Ss. Germani et Randoaldi Mm.</i>	III cl.
-----------	-------------------------------------	---------

### MARTIUS

<b>6</b>	<i>Ss. Perpetuae et Felicitatis Mm.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Fridolini Conf.</i>	

### APRILIS

<b>19</b>	<i>S. Leonis IX Papæ et Conf.</i>	III cl.
-----------	-----------------------------------	---------

### MAYUS

<b>9</b>	<i>S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Beati Conf.</i>	
<b>16</b>	<i>S. Ioannis Nepomuceni Mart.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf.</i>	
<b>29</b>	<i>S. Ragnacharii Ep. Basil. et Conf.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Mariae Magdalena de Pazzis Virg.</i>	

### JUNIUS

<b>27</b>	<i>S. Burchardi Conf.</i>	III cl.
-----------	---------------------------	---------

### JULIUS

<b>11</b>	<i>Commemoratio Ss. Placidi Mart. et Sigisberti Conf.</i>	Comm.
	<i>Commemoratio S. Pii I Papæ et Mart.</i>	
<b>15</b>	<i>S. HENRICI IMP. ET CONF., PATRONI SECUNDARII DIŒC.</i>	
	<i>BASIL.</i>	II cl.
<b>24</b>	<i>Ss. Ursicini et Wandregisili Conf.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Christina Virg. et Mart.</i>	

### AUGUSTUS

<b>16</b>	<i>S. IOACHIM, PATRIS B. MARIAE VIRG., CONF.</i>	II cl.
	<i>Commemoratio S. Theodori Ep. Sedunen et Conf.</i>	
<b>26</b>	<i>Commemoratio S. Gebhardi Ep. Constantien. et Conf.</i>	Comm.
	<i>Commemoratio S. Zephyrini Papæ et Mart.</i>	

### SEPTEMBER

<b>1</b>	<i>S. Verenæ Virg.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Egidii Abb.</i>	
	<i>Commemoratio Ss. duodecim Fratrum Mm.</i>	
<b>2</b>	<i>B. Apollinaris a Posat Mart.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Stephani Regis, Conf.</i>	
<b>22</b>	<i>Ss. Mauritii et Soc., Mm.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf.</i>	
<b>25</b>	<i>S. NICOLAI DE FLÜE CONF., PATRONI PRIMARII HELVETIAE</i>	I cl.
<b>26</b>	<i>IN DEDICATIONE ECCLESIE CATHEDRALIS SOLODORI</i>	I cl.
<b>30</b>	<i>SS. URSI, VICTORIS ET SOC. MM., PATRONORUM ECCL. CATHEDR. ET PATRONORUM PRINCIP. DIŒCESIS BASIL.</i>	I cl.

### OCTOBRIS

<b>1</b>	<i>S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Remigii Ep. et Conf.</i>	
<b>2</b>	<i>Ss. Angelorum Custodum</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Leodegarri Ep. et Mart.</i>	
<b>16</b>	<i>S. Galli Abb.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Hedwigis Vid.</i>	

### NOVEMBRI

<b>3</b>	<i>S. Idæ Virg.</i>	III cl.
<b>4</b>	<i>S. Caroli Ep. et Conf.</i>	III cl.
<b>13</b>	<i>S. Himerii Conf.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Didaci Conf.</i>	
<b>16</b>	<i>S. Otmarii Abb. S. Galli</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Gertrudis Virg.</i>	
<b>26</b>	<i>S. Conradi Ep. Constant. et Conf.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Silvestri Abb.</i>	
	<i>Commemoratio S. Petri Alexandr. Ep. et Mart.</i>	

### DECEMBRIS

<b>3</b>	<i>S. Francisci Xaverii Conf.</i>	III cl.
	<i>Commemoratio S. Lucii Ep. Curiens. et Mart.</i>	

## IN ECCLESIIS PARTICULARIBUS

<b>5</b> martii	Sołodori, in eccl. cathedr.: Inventio Reliquiarum Ss. Ursi, Victoris et Soc., Mm.	III cl.
<b>26</b> martii	in pago Schaffhusensi : <i>Commemoratio B. Eberhardi de Nellenburg Conf.</i>	Comm.
<b>22</b> iulii	in pago Thurgov. et Schaffhus. : IN DEDICATIONE PROPRIÆ ECCLESIE	I cl.
<b>5</b> augusti	in pago Tugiensi : S. OSWALDI MART., PATRONI CIVIT. TUGIENSIS	I cl.
<b>22</b> septembri	in civitate Lucerna : SS. MAURITII ET SOC., MM., PATRONORUM CIVIT. LUCERNÆ	I cl.

<b>2</b> octobris	in pago Lucernen. : S. LEODEGARII EP. ET MART., PATRONI CIVIT. LUCERNEN.	I cl.
<b>5</b> octobris	ibidem : Ss. Angelorum Custodum (e die 2 huius)	III cl.
<b>10</b> octobris	in pago Lucernen. : IN DEDICATIONE ECCLESIE PROPRIÆ	I cl.
<b>15</b> octobris	in pago Argoviensi : IN DEDICATIONE ECCLESIE PROPRIÆ	I cl.
<b>12</b> novembri	in pagis Basil., Bern., et Solodor. : IN DEDICATIONE ECCLESIE PROPRIÆ	I cl.

# MISSÆ FESTORUM PROPRIORUM DIŒCESIS BASILEENSIS

---

Die 3 decembris

S. LUCII

Episcopi Curiensis et Martyris  
Commemoratio

Oratio

P

**D**eus, qui beatum Lúcium Mártyrem tuum atque Pontíficem de terréno regno ad cælestis regni glóriam transtulísti: eius, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum, Iesu Christi, Fílii tui, fárias nos esse consórtes: Qui tecum vivit et regnat.

Secreta

P

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, sicut beatus Lúcius Martyr ac Póntifex tuus, spretis mundi oblectaméntis, soli Regi Christo placére stúduit, ita eius oráto nos tibi reddat accéptos. Per eúndem Dóminum.

Postcommunio

P

**D**eus, qui beatum Mártym ac Pontíficem tuum Lúcium mirificásti in terris et gloriósum in cælis fecísti: eúndem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ constitue defensórem. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis dicitur Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco.

Die 3 ianuarii

S. MARII

Episcopi Lausannensis  
et Confessoris  
Commemoratio

Oratio

P

**D**eus, qui pópulis tuis indulgén-  
tia cónsulis et amóre dominá-  
ris, quique illis regéndis vicários  
caritátis tuæ minístros præfici-  
s: da, quæsumus, intercedénte beáto Má-  
rio Confessóre tuo atque Pontífice,  
spíritum sapiéntiæ, quibus dedísti  
præssé Ecclésiæ tuæ; ut de pro-  
fécetu sanctárum óvium fiant gáudia  
ætérrna pastórum. Per Dóminum.

Secreta

C

**S**ancti Márii Confessóris tui atque  
Pontíficis, quæsumus, Dómine,  
ánnua solémnitas pietáti tuæ nos  
reddat accéptos: ut, per hæc piæ  
placatiónis offícia, et illum beáta  
retribútio comítetur, et nobis grá-  
tiæ tuæ dona concílet. Per Dñum.

Postcommunio

C

**D**eus, fidélium remunerátor ani-  
márum: præsta; ut beáti Márii  
Confessóris tui atque Pontíficis,  
cuius venerándam celebrámus fes-  
tivitatétem, précibus indulgéntiam  
consequámur. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis Missa Sacerdótes  
de Communi Conf. Pontificis 2 loco.

## Die 21 ianuarii

S. MEINRADI  
Martyris

Commemoratio

## Oratio

C

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Meinrádi Mártyris tui natalícia cólimus, intercessióne eius, in tui nómínis amóre roborémur. Per Dóminum.

## Secreta

C

**M**unéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cælestibus nos munda mysteriis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

## Postcommunio

C

**D**a, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

**¶** In Missis votivis dicitur Missa In virtúte, de Communi unius Martyris 3 loco, cum Evángelio Si quis vult e Missa Sacerdótes, 2 loco.

## Die 21 februarii

SS. GERMANI ET RANDOALDI  
Martyrum

III classis

Missa Intret, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, præter orationem sequentem.

## Oratio

P

**D**eus, pro cuius amóre sancti Mártyres Germánus et Randoáldus occubuérunt: præsta, quæ-

sumus; ut omnes, qui eórum implórant auxílium, petitónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

## Secreta

C

**A**désto, Dómine, supplicatióni- bus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deféri- mus: ut, qui nostræ iustítiae fidú- ciām non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adiuvémur. Per Dóminum.

## Postcommunio

C

**Q**uæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratióibus adiuvémur. Per Dóminum.

## Die 5 martii

Solodori in ecclesia cathedrali  
**INVENTIO RELIQUIARUM**  
**SS. URSI, VICTORIS**  
**ET SOCIORUM**  
Martyrum  
III classis

## Antiphona ad Introitum

**G**audeámus omnes in Dómino, diem festum cele- brantes sub honóre sanctórum Mártyrum, de quo- rum solemnitáte gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. Ps. 32, 1 Exsultáte, iusti, in Dómino: rectos decet collaudátio. **V.** Glória Patri.

## Oratio

**D**eus, Sanctórum tuórum splen- dor mirábilis, qui hodiérna die beatórum mílitum et Mártyrum tuórum Ursi et Victóris Socio-

rúmque eórum sacras Relíquias revelásti glorioséque decorásti: da nobis eórum intercessióne; ut a mundi periculis eruámur, et vitam cónsequi mereámur ætérnam. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 11, 33-39

**F**ratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustitiam, adépti sunt re promissiónes, obturávérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórū: accepérunt mulieres de resurrectiōne mórtuos suos: álli autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiōnem, ut meliòrem invenírent resurrectiōnem: álli vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapi dátī sunt, secti sunt, tentatí sunt, in occisiōne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus et spelúncis et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fidei probáti, invénti sunt in Christo Iesu, Dómino nostro.

Graduale Exod. 15, 11  
Gloriósus Deus in Sanctis suis: mi rabilis in maiestáte, fáciens prodígia.  
V. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Tractus Ps. 125, 5-6  
Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. V. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. V. Veniéntes autem vénient cum exsultatiōne, portántes manípulos suos.

⊕ Sequéntia sancti Evangélii se cún dum Lucam. Luc. 21, 9-19

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum audiéritis prœlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum haec fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia inícient vobis manus suas, et persequéntur trádentes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præ meditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non pótérunt resís tere et contradícere omnes adver sárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis áimas vestras.

Antiphona ad Offertorium  
Ps. 31, 11

Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

**O blatiónes nostras, clementís simus** Deus, quas in celebritáte sanctórum Mártirum tuórum Ursi et Victóris Sociorúmque eórum suppliciter deférimus, inténde pre cátus: ut per eórum mérita efficiátur nobis salus mentis et cörperis. Per Dóminum.

## Antiphona ad Communionem

Sap. 3, 1, 2 et 3

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt,  
et non tanget illos torméntum ma-  
litiæ: visi sunt óculis insipiéntium  
mori: illi autem sunt in pace.

## Postcommunio

**Q**uos divíni múnéris largítate  
satiásti, Dómine, Deus noster,  
intuére propítius: ut qui sanctórum  
Mártýrum tuórum Ursi et Victóris  
ac Sociórum mérita recólimus,  
eórum quoque patrocíniis adiuvé-  
mur. Per Dóminum.

## Die 6 martii

S. FRIDOLINI

Confessoris

Commemoratio

## Oratio

P

**B**eáti Confessóris et Sacerdótis  
tui Fridolíni, quásumus, Dó-  
mine, supplicátiōne placátus: et  
véniam peccatórum nobis tríbue, et  
remédia sempitérna concéde. Per  
Dóminum.

## Secreta

P

**S**acrificium, Dómine, quod desi-  
deránter offérimus, gratum tibi  
beáti Fridolíni Confessóris tui  
preces effícient. Per Dóminum.

## Postcommunio

P

**Q**uásumus, omnípotens Deus:  
ut beáti Fridolíni Confessóris  
tui sancta precátiō et a terrénis nos  
afféctibus indesinénter expédiat, et  
céléstia desideráre perfíciat. Per  
Dóminum.

**I**n Missis votivis Missa Os iusti, de  
Communi Confessoris non Pontificis  
1 loco, præter orationes præcedentes.

## Die 26 martii

in pago Schaffhusensi

B. EBERHARDI  
DE NELLENBURGConfessoris  
Commemoratio

## Oratio

P

**D**eus, qui beátum Eberhárdum  
Cómitem célesti regno terré-  
num postpónere docuísti: da nobis,  
quásumus; eius intercessióne et  
exémplo terréna despícere atque  
ætérra sectári. Per Dóminum.

## Secreta

C

**P**ræsta nobis, quásumus, omní-  
potens Deus: ut nostræ humili-  
tatis oblátio, et pro tuórum tibi  
grata sit honóre Sanctórum, et nos  
córpore páriter et mente puríficet.  
Per Dóminum.

## Postcommunio

C

**Q**uásumus, omnípotens Deus:  
ut, qui célestia aliménta percé-  
pimus, intercedénte beáto Eberhárdó  
Confessóre tuo, per hæc contra  
ómnia advérsa muniámur. Per Dó-  
minum nostrum Iesum Christum  
Fílium tuum: qui tecum vivit et  
regnat in unitáte Spíritus Sancti,  
Deus: per ómnia sácula sáculó-  
rum.

## Die 19 aprilis

S. LEONIS IX  
Papæ et Confessoris  
III classis

Missa Si díligis, de Communi Summo-  
rum Pontificum præter orationem se-  
quentem.

## Oratio

P

**A**d hunc tempore supplicatiōibus Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut intercedēnte beáto Leóne Confessóre tuo atque Pontífice, cælestib⁹ semper amplificétur augmēntis, et temporálibus ubique protegátur auxiliis. Per Dóminum.

## Secreta

C 1

**O**blatis munérib⁹, quæsumus, Dómine, Ecclésiam tuam benignus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubique succéssus, et gratifiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

## Postcommunio

C 1

**R**efectiōne sancta enutrítam guberná, quæsumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut, poténti moderatiōne dirécta, et incremēta libertatis accípiat et in religiōnis integritatē persístat. Per Dóminum.

## Die 9 maii

S. BEATI Confessoris

Commemoratio

## Oratio

C

**D**eus, qui nos sancti Beáti Confessóris tui ánnua solemnitatē lætificas: concéde propítius; ut cuius natalícia colimus, étiam actiones imitémur. Per Dóminum.

## Secreta

C

**L**audis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratiōne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dñum.

## Postcommunio

C

**R**efécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemoratiōne percépimus, eius muniámur et précibus. Per Dóminus.

**¶** In Missis votivis Missa Os iusti, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

## Die 16 maii

S. IOANNIS NEPOMUCENI

Martyris

III classis

## Antiphona ad Introitum

Eccli. 51, 30

**D**edit mihi Dóminus lingua mercédem meam: et in ipsa laudábo eum. (T. P. Allelúa, allelúa.) Ps. 38, 2 Dixi: Custódiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. V. Glória Patri.

## Oratio

**D**eus, qui ob invictum beáti Ioánnis sacramentale siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti: da; ut, eius exémplo et intercessiōne, ori nostro custódiam ponéntes, beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Ubaldi Episcopi et Confessoris.

## Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercessiōne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiōnis exténde. Per Dóminum.

## Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 21, 26-31

**S**tultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. Lalia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur: et, qui cum eo manserit, odiósus erit: tacitus et sensatus honorabitur.

### Tempore paschali:

Allelúia, allelúia. ¶ Eccli. 25, 11  
Beátus, qui lingua sua non est  
lapsus, et qui non servívit indígnis  
se. Allelúia. ¶ Prov. 10, 31 Lingua  
pravórum períbit: lingua autem  
sapiéntium est sánitas. Allelúia.

## Extra tempus paschale:

Qui ámbulat fraudulénter, revélat  
arcána: qui autem fidélis est ánimi,  
celat. ¶ Ps. 14, 1 et 3 Dómine, quis  
habitábit in tabernáculo tuo, aut  
quis requiéscet in monte sancto  
tuo? Qui non egit dolum in lingua  
sua: nec fecit próximo suo malum.

Allelúia, allelúia. ¶ Eccli. 25, 11  
Beátus, qui lingua sua non est  
lapsus, et qui non servívit indígnis  
se. Allelúia.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur:

Tractus Iac. 1, 26; 3, 2 et 7-8  
Si quis putat se religíosum esse,  
non refrænans linguam suam.

sed sedúcens cor suum, huius  
vana est relígio. ¶ Si quis in  
verbo non offéndit, hic perféctus  
est vir. ¶ Omnis enim natúra  
bestiárum domántur, et dómita  
sunt a natúra humána: linguam  
autem nullus hóminum domáre  
potest.



**† Sequentia sancti Evangélii  
secundum Matthaeum.**

Matth. 11, 2-10

In illo tempore: Cum audisset Ioánnes in vinculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et respóndens Iesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Ioánni, quæ audístis et vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, le-prósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evan-gelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Iesus dícere ad turbas de Ioánne: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce, qui móllibus ves-tiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis et plus quam prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto An-gelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

## Antiphona ad Offertorium

Eccli. 42, 1

Non dúlices sermónem de revela-  
tione abscónditi, et eris vere sine  
sermónis confusióne: et invénies  
grátiam in conspéctu ómnium hó-  
minum. (T. P. Allelúia.)

## Secreta

**H**æc tua, Dómine, sacra mystéria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo ínclytus Martyr et Sacérdos tuus Ioánnes, ea peragéndo, flagrábat. Per Dñum.

Pro S. Ubaldo

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Antiphona ad Communionem

Isai. 6, 6-7

Volávit ad me unus de Séraphim: et in manu eius cálculus, quem túlerat de altári, et tétigit os meum. (T. P. Allelúia.)

## Postcommunio

**F**ragilitátem nostram, Dómine, cælestis hæc mensa fórtium pane confírmet: qui beáti Mártyris et Sacerdótis tui Ioánnis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, iúgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

Pro S. Ubaldo Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Ubaldo Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

## Die 29 maii

S. RAGNACHARII  
Episcopi Basileensis  
et Confessoris

III classis

Missa Sacerdótes, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco, præter orationem sequentem.

## Oratio

P

**D**eus, qui in corde beáti Ragnachárii Confessóris tui atque Pontíficis, ignem tui amóris accéndere dignátus es: da, ut eódem caritatis ardóre ab omni labe peccáti mundémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Mariæ Magdalénæ de Pazzis Virginis.

## Oratio

Deus, virginitatis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cælestibus donis decorásti: da; ut, quam festiva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

## Secreta

C

**S**ancti Ragnachárii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comítetur, et nobis gratiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum.

Pro S. Maria Magdalena

## Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepíssse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

## Postcommunio

C

**D**eus fidélium remunerátor animarum: præsta; ut beáti Ragnachárii Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, præcibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Pro S. Maria Magdalena

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: eius, quásimus, semper interventióne nos réfove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 27 iunii

S. BURCHARDI  
Confessoris  
III classis

Missa Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

Die 11 iulii

Ss. PLACIDI Martyris  
ET SIGISBERTI Confessoris

Commemoratio

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 2 loco, præter orationes sequentes.

Oratio P

Fac nos, quásimus, Dómine, sanctórum tuórum Plácdi et Sigisbérti semper festa sectári: quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Pii I Papæ et Martyris.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pium Mártylem tuum atque Summum Pontíficem perpétua pietáte custódi, quem totius Ecclésiæ præstítisti esse pastórem. Per Dóminum.

Secreta

C

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre iustórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Pro S. Pio

Secreta

Oblátis munéribus, quásimus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubique succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

Postcommunio

P

Præsta nobis, quásimus, Dómine: intercedéntibus sanctis tuis Plácido et Sigisbérto; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Pio

Postcommunio

Refectíone sancta enutrítam gubérrna, quásimus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut, poténti moderatíone dirécta, et increménta libertatis accípiat et in religiónis integrítate persístat. Per Dóminum.

Die 15 iulii

S. HENRICI

Imperatoris, Confessoris, Patroni secundarii diœcesis Basileensis

II classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 36, 30-31

O s iusti meditábitur sapiéntiam, et lingua eius loquéatur iudícium: lex Dei eius in corde ipsíus. Ps. ibid. 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. V. Glória Patri.

## Oratio

**D**eus, qui hodierna die beatum Henricum Confessorem tuum e terréni cùlmene impérii ad regnum aëternum transtulisti: te súpplices exorámus; ut, sicut illum, gratiæ tuæ ubertáte prævénsum, illécebras sáculi superáre fecisti, ita nos fáciás, eius imitatióne, mundi huius blandiménta vitare, et ad te puris méntibus pervenire. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45, 1-6

**D**iléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timore inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et iussit illi coram pòpulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplinæ.

Graduale Ps. 91, 13 et 14

Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. V. Ibid. 3 Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia. V. Iac. 1, 12 Beatus vir, qui suffert tentatióne: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

+

Sequéntia sancti Evangélii scúndum Lucam. Luc. 19, 12-26

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parabolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in régionem

longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini, dum vénio. Cives autem eius óderant eum: et misérunt legatióne post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et iussit vocári servos, quibus dedit pecúniā, ut sciret, quantum quisque negotiátus esset. Venit autem pri-mus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívīt. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis, quod non posuísti, et metis, quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te iúdico, serve nequam. Sciébas, quod ego homo austérus sum, tollens, quod non pósui, et metens, quod non semi-návi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et, quod habet, auferétur ab eo.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu eius.

## Secreta

**S**úscipe, Dómine, múnera propítius obláta, quæ Maiestáti tuæ beáti Henríci Imperatóris et Confessóris tui comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

## Antiphona ad Communionem

Matth. 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

## Postcommunio

**P**uríficent nos, Dómine, sacraménta, quæ súmpsimus: et, intercedénte beáto Henríco Imperatóre et Confessóre tuo, a cunctis effícient vítiis absolútos. Per Dóminum.

## Die 24 iulii

Ss. URSICINI

ET WANDREGISILI

Confessorum

III classis

Missa Confiteántur, de Communi pluríum Confessorum non Pontificum (inter Missas pro aliquibus locis), præter ea quæ hic habentur propria.

## Oratio

P

**D**eus, qui beátos Ursicínus et Wandregísilum Confessóres tuos in mundi contémptu mirábiles effecísti: præsta, quæsumus; ut intercessiónis eórum auxílio fidéles tui terréna despícant et ad cælestia semperaspírent. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Christinæ Virginis et Martyris.

## Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper exstítit, et mérito castitatis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

## Secreta

C 1

**H**óstias ad altáre tuum offeréntibus, Dómine, da nobis illum pietatis afféctum, quem beátis Ursicíno et Wandregísilo Confessóribus tuis infudísti: ut pura mente et férvido corde rei sacræ attendámus, et sacrificium tibi plácitum nobisque profícuum immolémus. Per Dóminum.

## Pro S. Christina

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Christinæ Virginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

## Postcommunio

C 1

**T**ríbuat nobis, omnípotens Deus, suffragántibus beatórum Ursicíni et Wandregísili Confessórum tuórum précibus, reféctio sacra subsídium: ut et castitatis munditiam observémus in corpore, et lumen veritatis exhibéamus in opere. Per Dóminum.

Pro S. Christina Postcommunio Divíni múnéris largítate satiáti, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, intercedénte beáta Christína Virgine et Mártyre tua, in eius semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 16 augusti

S. THEODORI (S. Theoduli)

Episcopi Sedunensis et Confessoris

Commemoratio

Oratio

C

**D**a, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Theodóri Confessóris tui atque Pontíficis veneranda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Secreta

C

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

C

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Theodóro Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

**¶** In Missis votivis Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

Die 26 augusti

S. GEBHARDI

Episcopi Constantiensis  
et Confessoris

Commemoratio

Missa Sacerdótes, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

Et fit commemoratio Zephyrini Papæ et Martyris.

Die 1 septembri

S. VERENÆ

Virginis

III classis

Missa Vultum tuum de Communi Virginum 4 loco, præter orationem sequentem.

Oratio

P

**D**eus, qui beátam Verénam in contemplánda Mártyrum passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus, ut, ipsa intercedénte, in nobis flammam caritátis accéndas. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Ægidii Abbatis.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægidii Abbátis coméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Deinde commemoratio Ss. duodecim Fratrum Martyrum.

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Secreta

C

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro S. Ægidio

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Ægidius Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. (Per Dóminum.)

Pro Ss. Martyribus      Secreta  
 Mystéria tua, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum commemo-  
 ratióne devótā mente tracté-  
 mus: quibus nobis et præsídium  
 crescat, et gáudium. Per Dó-  
 minum.

Postcommunio      C

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam  
 munéribus sacris: eius, quásu-  
 mus, semper interventiōne nos  
 réfove, cuius solémnia celebrámus.  
 Per Dóminum.

Pro S. Ægidio Postcommunio  
 Prótegat nos, Dómine, cum tui  
 perceptiōne sacraménti beátus  
 Ægídius Abbas, pro nobis inter-  
 cedéndo: ut et conversatiōnis  
 eius experiámur insígnia, et  
 intercessiōnis percipiámus suf-  
 frágia. (Per Dóminum.)

Pro Ss. Martyribus  
 Postcommunio

Præsta, quásu-  
 mus, omnípotens  
 Deus: ut, quorum memóriam  
 sacraménti participatiōne recó-  
 limus, fidem quoque proficiéndo  
 sectémur. Per Dóminum.

Die 2 septembrii

BEATI APOLLINARIS A POSAT  
 Martyris  
 III classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 63, 11

**L**ætábitur iustus in Dómino,  
 et sperábit in eo: et lauda-  
 búntur omnes recti corde.  
 Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus,  
 oratiōnem meam, cum déprecor: a  
 timóre inimíci éripe ánimam meam.  
 ¶ Glória Patri.

Oratio

E cclesiām tuam, quásu-  
 mus, Dó-  
 mine, fac nos semper filiáli  
 pietáte dilígere: cuius in iúribus  
 propugnándis beátus Apollináris,  
 spíritu fortitúdinis roborátus, ad  
 mortem usque certávit. Per Dó-  
 minum.

Et fit commemoratio S. Stephani  
 Regis, Confessoris.

Oratio

Concéde, quásu-  
 mus, Ecclésiæ  
 tuæ, omnípotens Deus: ut beátum  
 Stéphanum Confessórem tuum,  
 quem regnántem in terris propa-  
 gatórem hábuit, propugnatórem  
 habére mereátur gloriósum in  
 cælis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli  
 Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12

**C**aríssime: Memor esto, Dómi-  
 num Iesum Christum resur-  
 rexisse a mórtuis ex sémine David,  
 secúndum Evangélium meum, in  
 quo labóro usque ad víncula, quasi  
 male óperans: sed verbum Dei non  
 est alligátum. Ideo ómnia sustíneo  
 propter eléctos, ut et ipsi salútem  
 consequántur, quæ est in Christo  
 Iesu, cum glória cælesti. Tu autem  
 assecútus es meam doctrínam,  
 institutiōnem, propósitum, fidem,  
 longanimitatē, dilectionem, pa-  
 tiéntiam, persecutiōnes, passiōnes:  
 quália mihi facta sunt Antiochiae,  
 Icónii et Lystris: quales persecutiōnes  
 sustínui, et ex ómnibus erípuit  
 me Dóminus. Et omnes, qui pie  
 volunt vivere in Christo Iesu, perse-  
 cutiōnem patiéntur.

Graduale

Ps. 36, 24

Iustus cum cecíderit, non collidétur:  
 quia Dóminus suppónit manum

suam. **V.** Ibid., 26 Tota die miseretur, et cōmodat: et semen eius in benedictiōne erit.

Allelúia, allelúia. **V.** Ioann. 8, 12 Qui séquitur me, non ábulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúia.

**+** Sequéntia sancti Evangélīi secúndum Matthéum.  
Matth. 10, 26-32

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápití omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Antiphona ad Offertorium  
Ps. 20, 4-5

Posuísti, Dómine, in cápite eius corónam de lápide pretiósō: vitam pétuit a te, et tribuísti ei, allelúia.

Secreta

**I**n hostes tuos, Dómine Deus, fortitúdinem nobis cónferat hæc mensa cælestis: quæ beátum Apol-

linárem sic áluit ad certámen, ut fórtior efféctus victóriam cónsequi mererétur. Per Dóminum.

Pro S. Stephano                      Secreta  
Réspice, quas offérimus, hóstias, omnípotens Deus: et præsta; ut, qui passiōnis Domínicæ mystéria celebrámus, imitémur quod ágimus. Per eúndem Dóminum.

Antiphona ad Communionem  
Ioann. 12, 26

Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio

**S**alutáris hóstiae participatiōne roborátos, fac nos, Dómine Iesu, beáti Mártyris Apollináris invíctam imitári in fide et caritáte constántiam: Qui vivis.

Pro S. Stephano Postcommunio  
Præsta, quás sumus, omnípotens Deus: ut beáti Stéphani Confessóris tui fidem cóngrua devotíone sectémur; qui pro eiúsdem fidei dilatatiōne, de terréno regno ad cælestis regni glóriam mérit pervenire. Per Dóminum.

Die 22 septembris

Ss. MAURITII ET SOCIORUM  
Martyrum  
III classis

Missa Intret, ut in Missali in horū festo eodem die.

Et fit commémoratio S. Thomæ de Villanova Episcopi et Confessoris.

Die 25 septembris

## S. NICOLAI DE FLÜE

Eremitæ et Confessoris, Patroni Primarii Helvetiæ

### I classis

Antiphona ad Introitum  
Ps. 54, 8, 10

**E**cce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine: quóniam vidi iniquitátem et contradicciórem in civitáte.  
(T.P. Allelúia, allelúia.) Ps. ibid. 2-3  
Exáudi, Deus, oratiórem meam, et ne despéixeris deprecationem meam: inténde mihi, et exáudi me. **V.** Glória Patri.

### Oratio

**B**eáti Nicolái, Confessóris tui, intercessióne suffúlti, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut gentem nostram benígna semper protectióne custódias, eiúsque rectóribus grátiae tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.  
Rom. 14, 17-19

**F**ratres: Non est regnum Dei éscas et potus, sed iustitia et pax et gáudium in Spíritu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus. Itaque, quæ pacis sunt, sectémur: et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiámus.

Graduale Ps. 121, 7-8

Fiat pax in virtúte tua, et abundántia in túrribus tuis. **V.** Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem de te.

Allelúia, allelúia. **V.** Ps. 54, 23 Iacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. Allelúia.

In Missis votivis post Septuagísimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 33, 9-11

Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus. **V.** Beátus vir, qui sperat in eo; quóniam nihil deest timéntibus eum. **V.** Dívites eguérunt et esuriérunt: inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Tempore autem paschali omittitur graduale, et eius loco dicitur:

Allelúia, allelúia. **V.** Ps. 54, 23 Iacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. Allelúia. **V.** Ioan. 6, 52 Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in æternum. Allelúia.

+

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthéum.  
Matth. 19, 27-29

**I**n illo tempore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratione, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Et omnis,

hat so gut geschlafen, auch rechtlich!

Gnadenstunde 8.12.2013/14 15.30h - 16.30h

(Orgel) VSM

Ao: 247 (wahrer Leib)

Wba: 35

Ao: 295 (es blüht den Engeln)

Ao: 73  
(Immaculata - Rosenkranz)

Ao: 201 (Die Schönste von allen)

**Stille** bis ca. 16.25h

16.23 begonnen: Ao: 91

**Blatt: 1.Str.** (Immaculata, du Lilienblüte)

Ao: 95 (Weihe)

**Blatt: 2.Str.**

Anschliessend gesungene Vesper  
und Segensandacht (16.30h)

(SR 327 → nicht aufstecken!)

Wba: 106

**Litaneienheft: 44** (Tota pulchra es)

T.e.

Ao: 216

(etwaige Giedänderung vorbelaten)

qui relíquerit domum, vel fratres,  
aut soróres, aut patrem, aut matrem,  
aut uxórem, aut filios, aut agros,  
propter nomen meum, céntuplum  
accípiet, et vitam æternam possi-  
débit.

Credo.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 30, 4

Dómine, fortitúdo mea et refúgium  
meum es tu, et propter nomen  
tuum dedúces me et enútries me.  
(T. P. Allelúia.)

Secreta

M únera tibi, Dómine, dicáta  
sanctífica: et, intercedénte  
beáto Nicoláo Confessóre tuo, per  
éadem nos benígnus inténde; ut  
tibi famulántes in terris, glória  
tua perfruámur in cælis. Per Dó-  
minum.

Antiphona ad Communionem  
Gal. 2, 19

Christo confíxus sum cruci. Vivo  
autem, iam non ego: vivit vero in  
me Christus. (T. P. Allelúia.)

Postcommunio

M ysteriorum tuórum nos, quæ-  
sumus, Dómine, commúnio  
sancta restáuret: ut beáti Nicoláí  
sequéntes exémpla, in tuo semper  
amóre crescámus. Per Dóminum.

Die 26 septembris

IN DEDICATIONE  
ECCLESIÆ CATHEDRALIS  
SOLODORI

I classis

Missa Dedicationis. Nihil de Ss. Cy-  
priano et Iustina Mm.

Die 30 septembris

# SS. URSI, VICTORIS ET SOCIORUM

Martyrum, Patronorum ecclesiæ cathedralis  
et diœcesis Basileensis Patronorum principalium

## I classis

Antiphona ad Introitum

**G**audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore sanctorum Mártyrum: de quorum solemnitate gaudent Angeli et collaudant Fílum Dei. Ps. 32, 1 Exultáte, iusti, in Dómino: rectos decet collaudátio. **¶**. Glória Patri.

Oratio

**D**eus, qui hodiernam diem beatórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris eorúmque Sociórum gloriósa passióne consecrásti: præsta, quæsumus; ut eórum suffrágia apud te sentiámus in cælis, quorum pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos. Hebr. 11, 33-39

**F**ratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt re promissónes, obturavérunt ora leónum, extinxerunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluerunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulieres de resurrectiōne mórtuos suos: álli autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiōnem, ut meliórem invenírent resurrectiōnem: álli vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapi-

dáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisiōne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errántes, in móntibus et spelúncis et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Iesu, Dómino nostro.

Graduale

Exod. 15, 11

Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestáte, fáciens prodígia. **¶**. Ibid. 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtute: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. **¶**. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúia.

+

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21, 9-19

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiones, nolite terréri: opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmóitus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia inícient vobis manus suas, et persequéntur tra-

déntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contíget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non pótérunt résistere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis áimas vestras.

Credo.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 31, 11

Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti: et gloriámini, omnes recti corde, allelúa.

Secreta

**H**æc múnera, Dómine, quæ in honóre sanctórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris eorúmque Sociórum offérimus, nos ab omni labe purgátos, tibi reddant accéptos. Per Dóminum.

Antiphona ad Communionem

Sap. 3, 1, 2 et 3

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiae: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio

**S**acramentórum tuórum, Dómine, múnere vegetáti, tuam súpplices deprecámur cleméntiam: ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Ursi et Victóris eorúmque Sociórum festa solémniter celebrámus; eórum

méritis et præcibus pervenire ad gáudia ætérana mereámur. Per Dóminum.

Die 1 octobris

S. HIERONYMI

Presbyteri, Confessoris  
et Ecclesiæ Doctoris

III classis

(ut in Missali die 30 septemboris)  
Commemoratio S. Remigii Episcopi et Confessoris (hoc die).

Die 2 octobris

S. LEODEGARII

Episcopi et Martyris

Commemoratio

Oratio

P

**P**reces pòpuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur, cuius passióne lætámur. Per Dóminum.

Secreta

C

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Leodegário Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

C

**H**æc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Leodegário Mártyre tuo atque Pontífice, cælestis remédií fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

**I**n Missis votivis Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Mart. 2 loco, cum Evangelio Ego sum vitis vera, de Communi unius Mart. T. P. 1 loco, præter orationem præcedentem.

## Die 16 octobris

S. GALLI

Abbatis

III classis

Missa Os iusti, de Communi Abbatum.  
Et fit commemoratio S. Hedwigis  
Viduæ.

## Die 3 novembris

S. IDÆ

Virginis

III classis

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum + loco præter orationem sequentem.

Oratio

P

**D**eus, qui beatam Idam sanctarum tuarum Virginum collégio aggregare dignatus es: trübue nobis, quæsumus; ut eius pre-cibus et méritis a culpis omnibus expiémur, et tuæ Maiestatis consortio perfruámur æterno. Per Dóminum.

Secreta

C

**A**ccepta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum se méritis de tribulatiōne percepisse cognoscit auxilium. Per Dóminum.

Postcommunio

C

**S**atiasti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: eius, quæsumus, semper interventione nos réfove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum.

## Die 4 novembris

S. CAROLI

Episcopi et Confessoris

III classis

Antiphona ad Introitum

Eccli. 45, 29 et 30

**I**n bonitatē et alacritatē animæ suæ plácuit Deo: ideo státuit illi testaméntum pacis, príncipem sanctórum et gentis suæ: ut sit illi sacerdótii dígnitas in æternum. Ps. 72, 1 Quam bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde. **V.** Glória Patri.

## Oratio

**E**cclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli, Confessoris tui atque Pontíficis, contínua protectiōne custodi: ut sicut illum pastorális sollicitudo gloriósum redidit; ita nos eius intercessio in tuo semper fáciat amóre ferventes: Per Dóminum.

Et fit commemoratio Ss. Vitalis et Agricolæ Martyrum.

## Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctorum Mártirum tuorum Vitális et Agrícolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adiuvémur. Per Dóminum.

## Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 50, 1 et 4-11

**E**cce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditioне. Qui præváluit amplificare civitatem, qui

adéptus est glóriam in conversatióne gentis et ingrémentum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ et quasi luna plena in diébus suis lucet; et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ et quasi flos rosárum in diébus vernis et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ et quasi thus redólens in diébus æstátis, quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum orná-tum omni lápide pretiósio. Quasi olíva púllulans et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in acci-piéndo ipsum stolam glóriæ et vestíri eum in consummatiÓnem virtútis.

**Graduale** Sap. 4, 13 et 14  
Consummátus in brevi, explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus. **¶** Propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátis.

Allelúia, allelúia. **¶** Eccli. 45, 9  
Induit eum stolam glóriæ et cor-onávit eum in vasis virtútis.  
Allelúia.

**+** Sequéntia sancti Evangélii se-cúndum Ioánnem. Ioann. 10, 11-16

**I**n illo témpore: Dixit Iesus pha-risæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ániam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dimíttit oves et fugit: et lupus rapit et dispérgit oves: mer-cenárius autem fugit, quia mer-cenárius est et non pértinget ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas et cognós-cunt me meæ. Sicut novit me Pater,

et ego agnósco Patrem, et ániam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addú-cere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle et unus pastor.

**Antiphona ad Offertorium**  
Sap. 8, 2

Amávit sapiéntiam a iuventúte sua: et quæsívit sibi sponsam eam assú-mere: et amátor factus est formæ illíus, allelúia.

**Secreta**

**S**ancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis pastorális officii vigilántiam et præcláras virtútes admirántibus; præsta, quæsumus; ut ipsíus inhæréntes vestígii tibi digne múnera deferámus. Per Dó-minum.

**Pro Ss. Vitale et Agricola**

**Secreta**

Oblátis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et, interce-déntibus sanctis Martýribus tuis Vitále et Agrícola, a cunctis nos defénde periculis. Per Dó-minum.

**Antiphona ad Communionem**  
Eccli. 39, 13

Non recédet memória eius: et nomen eius requirétur a genera-tióne in generatiÓnem.

**Postcommunio**

**S**anctíficent nos, quæsumus, Dó-mine, sumpta mystéria, et sancto Cárolo Confessóre tuo atque Pontífice intercedénte, nostrórum purífi-cent máculas delictórum. Per Dó-minum.

Pro Ss. Vitale et Agricola

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Vitále et Agrícola, cælestis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 13 novembris

S. HIMERII

Confessoris

III classis

Missa Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter orationem et Evangelium.

Oratio

**D**eus, qui ómnia pro te relinquéntibus céntuplum in hoc sǽculo, et in futúro ætérnam vitam promisisti: concéde, quásümus; ut sancti Himerii Confessóris tui vestígiis inhæréntes, peritúra despiciámus et ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Didaci Confessoris.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitati nostræ; ut, piis béati Dídací Confessóris tui précibus, ad perénnum in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

⊕ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

**I**n illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce, nos relíquimus ómnia et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Secreta

C

**L**audis tibi, Dómine, hóstias im-molámus in tuórum commemo-ratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus exui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Pro S. Didaco

Secreta

Prästa nobis, quásümus, omní-potens Deus: ut nostræ humili-tatis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio

C

**R**efécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices ex-orámus: ut, in cuius hæc commemo-ratióne percépimus, eius muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro S. Didaco Postcommunio  
Quásümus, omnípotens Deus:  
ut, qui cælestia alíménta percé-



## Léctio libri Sapiéntiæ.

Ecli. 21, 26-31

**S**tultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. Lalia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur: et, qui cum eo manserit, odiósus erit: tacitus et sensatus honorabitur.

### Tempore paschali:

Allelúia, allelúia. ¶ Eccli. 25, 11  
Beátus, qui lingua sua non est  
lapsus, et qui non servívit indígnis  
se. Allelúia. ¶ Prov. 10, 31 Lingua  
pravórum períbit: lingua autem  
sapiéntium est sánitas. Allelúia.

### Extra tempus paschale:

Allelúia, allelúia. ¶ Eccli. 25, 11  
Beátus, qui lingua sua non est  
lapsus, et qui non servívit indígnis  
se. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur:

Tractus Iac. 1, 26; 3, 2 et 7-8  
Si quis putat se religíosum esse,  
non refráenans linguam suam.

sed sedúcens cor suum, huius  
vana est religió. ¶ Si quis in  
verbo non offendit, hic perféctus  
est vir. ¶ Omnis enim natúra  
bestiárum domántur, et dómita  
sunt a natúra humána: linguam  
autem nullus hóminum domáre  
potest.

## **† Sequentia sancti Evangeli secundum Matthaeum.**

Matth. 11, 2-10

In illo tempore: Cum audisset Ioánnes in vinculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et respóndens Iesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Ioánni, quæ audístis et vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evan-gelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Iesus dícere ad turbas de Ioánni: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce, qui móllibus ves-tiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis et plus quam prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto Ángelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

## Antiphona ad Offertorium

Eccli. 42, 1

Non dúplices sermónem de revelatióne abscónditi, et eris vere sine sermónis confusióne: et invénies grátiam in conspéctu ómnium hóminum. (T. P. Allelúia.)

Pro S. Maria Magdalena

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: eius, quásimus, semper interventióne nos réfove, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 27 iunii

S. BURCHARDI  
Confessoris  
III classis

Missa Os iusti, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

Die 11 iulii

Ss. PLACIDI Martyris  
ET SIGISBERTI Confessoris  
Commemoratio

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 2 loco, præter orationes sequentes.

Oratio P

Fac nos, quásimus, Dómine, sanctórum tuórum Plácdi et Sigisbérti semper festa sectári: quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Pii I Papæ et Martyris.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætére, placátus inténde: et per beátum Pium Mártym tuum atque Summum Pontíficem perpétua pietáte custódi, quem totius Ecclésiæ præstítisti esse pastórem. Per Dóminum.

Secreta

C

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre ióstórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Pro S. Pio

Secreta

Oblátis munéribus, quásimus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubique succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

Postcommunio

P

Præsta nobis, quásimus, Dómine: intercedéntibus sanctis tuis Plácido et Sigisbérto; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Pio

Postcommunio

Refectiōne sancta enutrítam guérna, quásimus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut, poténti moderatiōne dirécta, et increménta libertatis accípiat et in religiōnis integritaté persístat. Per Dóminum.

Die 15 iulii

S. HENRICI

Imperatoris, Confessoris, Patroni secundarii diœcesis Basileensis

II classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 36, 30-31

O s iusti meditábitur sapiéntiam, et lingua eius loquéatur iudícium: lex Dei eius in corde ipsíus. Ps. ibid. 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. V. Glória Patri.